

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

De

Professoribus Reg. Acad. Aboënsis, intra Sæ-
culum ab hujus Natalibus Primum,
Designatis,
Pars Tertia.

Quām

Conf. Ampl. Facult. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,
MODERANTE
Mag. HENRICO-GABRIELE
PORTHAN,

Eloq. Profesore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari,
R. Acad. Litt. Human Hist & Antiquit. R. Societ,
Scient. Upsal. &c. Socio,

PRO GRADU

Publico examini modēste offert

ESAIAS WEGELIUS,
Cistrobotnienfis.

In Auditorio Majori die 11 Junii 1801.

Horis a. m. solitis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

ADMODUM REVERENDO ATQVE PRÆCLARISSIMO
DOMINO MAGISTRO
ESAIÆ WEGELIO,

PRÆPOSITO ATQUE PASTERI ECCLESiarum quæ DEO IN
VORâ COLLIGUNTUR, MERITISSIMO,

PARENTI INDULGENTISSIMO!

Tot tantaque a Te, Paren̄s Indulgentissime, paternæ curæ, affectus & beneficiorum expertus sum documenta, ut omnium ingratissimus essem, si diu exoptatum hanc occasionem dimitterem, venerationem in Te perpetuam atque pietatem nungquam intermoritaram, publice declarandi. Hoc igitur Dissertationem Tibi offerens, ut munusculum hoc, atque filialis venerationis pignus, hilari, quo soles, vultu excipias rogo, & plium grati animi, pro maximis Tuis in me beneficiis, significacionem probes; quantum ad referendam gratiam mihi deest virium, tantum ad habendum voluntatis semper mihi abundaturum, non dubitans. Quod reliquum est, ardentissimis supplicabo votis, velit Supremum Numen Te nobis, qui Tui sumus, diu hospitem & incolunem conservare! Summa pietate ad cineres usque permanebo, Tibi,

PAREN̄S INDULGENTISSIME,

Obsequentissimus filius
ESAIAS WEGELIUS.



VII:o **M**ARTINUS HENRICUS STODIUS,
Aboënsis, honestissimis parentibus na-
tus Aboæ die 9 Novembr. An. 1590, & eximio præ-
ditus ingenio, qui, eruditionis copia, quantam in
Schola colligere potuit Aboënsi, comparata, deside-
rio hanc augendi flagrans, ad Germaniæ Academias,
veræ Religionis Christianæ atque Sacrarum Lingua-
rum culturæ fama celebres, peregre est profectus,
Wittembergæ imprimis commoratus, ubi etjam lu-
culentis tam in alijs aliisque Philosophiæ partibus,
quam in Linguis Hebræa & Græca progressuum
suorum speciminibus laudabiliter præstitis, honores
obtinuit Magisteriales. Ad suos dehinc lares, mag-
na comitatus eruditionis celebritate, reversus, hoc
impetravit diligentiae & industriæ præmium, ut pri-
mum Conrector Scholæ Aboënsis An. 1628, & pau-
lo post scil. An. 1633 Græcæ Linguae Lector in
Gymnasio Aboënsi constitueretur, quo etjam anno
Dissertationem Theologicam de *Libero Arbitrio, in Articul.* XIII. *Augustan. Confes.* a se elucubratam & Wit-
tembergæ impresam in Synodo Dioceſana defen-

F

dit.

dit. Triennio hinc elapso ad Lectionem Theologicam
in patrio Gymnasio fuit promotus, die 13 Augusti hu-
jus Anni (1636) simul Ecclesiæ Lundensis Pastor
factus. Interea suam in docendo ita probavit soller-
tiam, ut die 19 Mart. An. 1640 Linguarum Hebrææ
& Græcæ Professor in Academia Aboënsi designa-
retur. Enimvero quum ex atra nimis laboraret bi-
le, ac proinde aliorum societatibus rarius interesset,
domi interea partim legendo, partim experimenta
Physica curiosa instituendo, occupatus, horumque
quædam discipulis suis sub jurisjurandi religione ne-
^(a) evulgarentur, daret specimina, quorum ratio-
nem alii non adsequebantur; factum est, ut in ma-
giæ vel necromantiæ suspicionem adduceretur, gra-
viter proinde coram Consistorio Academico accu-
fatus. Quamvis autem culpam criminis objecti a se
plene planeque remoyeret ^(b); impedire tamen non
potuit, quin a Rectoratu Academico, quem An. 1646
susceperebat, decedere, & a muneric etjam Profeso-
rii administratione per aliquot annos abstinere co-
geretur. Reconciliatis vero sensim Collegarum ani-
mis, consulatum Academicum annis 1651 & 1658
gescit. An. 1652 Theologiae Professor designabatur,
quod munus An. 1654 adiit, insimul Pastor Ecclesiæ
Nådendablensis factus, utroque hoc munere sine ulla
fortunæ offensa functus. Viribus autem ejus, jam
septuagenarii, laboribus ac curis exhaustis, An. 1660
vacationem a munere Professorio clementissime
impetravit, retenta tamen cura Ecclesiæ Nå-
den-

dendalensis, quorum se tamquam in desideratum contulit portum, ubi etiam finem vitae attigit An. 1673, anno ætatis octogesimo quinto. An ex sua conjuge, cuius nomen nos latet, plures suscepit liberos, quam binas filias, ELISABETHAM, nuptam An. 1658 Physices Professori & Soceri in Praebendum Nådendalensem Successori, Andreæ PETRÆO, & alteram quam in matrimonium duxit Mag. ANDREAS BERGIUS, Pastor Ecclesiæ in Tåffala, nobis non constat. Nullum quidem eruditionis suæ Academicæ documentum, quod videre nobis contigit, Aboæ impressum reliquit; quo circa tamen haud erit reticendum, quod sicut proba Linguarum Sacra- rum peritia valeret, ita quoque in S. S. Bibliorum interpretatione atque in Linguam Fennicam trans- latione sociam Rev. Doctori Åsch. PETRÆO, cæ- terisque hujus Collegis præstiterit operam (c)

a) Forte non ingratum nostris erit Lectoribus vidisse, qua- li jurejurando alumnos suos prius obstrinxerit STODIUS, quam in notitiam disciplinarum, quas ceu arcanas vendi- tavit, eos admiserit; quare formulam illius ex Cel. AR- CKENHOLTZII *Memoires de CHRISTINE Tom. I. pag.* 328 adferemus: Ego N. N. Vestræ admodum Reveren- tiæ discipulus indignissimus juro & promitto per virtu- tem omnipotentis Dei, per sanguinem D:ni nostri *Jesu Christi* & per resurrectionem mortuorum & extremum ju- dicium, & per salutem animæ meæ in Fide S. Catholica Omnipotentis Dei & V. R:tiæ, Præceptoris, Fauroris, Promoto- ri longe colendissimo, *M. Martino Stadio*; me quoad Spi- ritus hosce meos rexerit artus, in cunctis rebus fidelem

atque obedientem esse, firmiterque ea fideliter omnia quæ
auditurus sum a V. R:ta, servare occulta, nec ulli reue-
lare vel aliquem docere sine R:æ V:æ voluntate & con-
fensu. Insuper in eadem virtute juro & promito, quod
non abutar aliqua scientia contra Deum & ejus mandata,
nec contra ministros ejus & justitiam vel æquitatem. Sic
me Deus adjuvet & sic salvet in extremo judicio. Hæc
omnia prædicta uteo constantius atque fidelius a me indigno
servanda sint, occulte hoc meo chirographo me vobis obligare
atque prædicta cœnfirmare volo. Etc. (b) Plenius aliquanto de
controversiis Stadio motis agit Cl. M. Job. RANGELIUS
in Dissert. V. de Regia Academia Aboensi §. XVII. p.
72 & 73. Allata Professoris STODE momenta Biogra-
phica ex Actis Consistorii Academicæ qua partem depre-
misimus, præcipue autem ex Max. Rev. Prof. & Doct.
TENGSTRÖM *Dissertat. de Vita & meritis M. Isaacii*
B. ROTHOVII Part. IV, V. & VI. mutuo sumsimus.

VIII:o Mag. SIMON SVENONIS KEXLE-
RUS, Nericius, lucem adspexit in paroeciæ Eds-
berga pago, Kexle nuncupato, die 29 Decembr. An-
1602, parentibus ibidem ruricolis prognatus. Ab his
vitæ rusticæ, uti videtur, destinabatur, quare etjamsi
anno ætatis decimo quinto primum in disciplinam
æditiæ Ecclesiæ tradebatur, ab hoc in primis Litterarum
elementis erudiendus; quæ vero dum omnium
opinione citius arripiisset, anno sequenti in Scho-
lam mittebatur Orebroensem, ibique quatuor annorum
spatio pro ea, qua disciplinas apprehendebat facili-
tate, eos in his fecit progressus, ut dignus habere-
tur, qui ad Upsaliensem se conferret Academiam,
sub-

sublimioribus scientiis, in quas acutissimum suum ferebatur ingenium, operam navaturus. Quod pertinaci diligentia & hanc infuscato felici adeo successu praestitit, ut luculentis eruditionis suæ editis speciminiibus, An. 1631, hoc est decimo anno, ex quo rudimenta Literarum discere incepérat, jura & honores Magisteriales confequeretur. Ampliorem vero in exteris Academiis, quam qui in Patria ea tempestate patebat, cognitionem suam augendi campum inventurus, anno sequente ad Germanica & Belgica properavit Lycea, ad quæ dum commorabatur, nullam omnino in scientiis, præcipue Mathematicis, proficiendi occasionem prætermisit. Professoribus igitur ob eruditio-
 nem ac virtutem ita probatus, ut sine horoscopio augurarentur, *Kexlerum Patriæ* suæ insigniter aliquando profuturum. Biennio, & quod excedit, in transmarinis oris transacto, An. 1634 in natale reversus solum, Mathesin juventuti Gymnasticæ, ab Episcopo Strengnæfensi Doct. Laurentio Paulino Gotha rogatus, per anni spatum proposuit; hinc ob eruditionis laudem Upsaliam evocatus, & Facultatis ibidem Philosophicæ Adjunctus An. 1636 constitutus. Crevit interea magis magisque fama suæ Scientiarum Mathematicarum peritiæ; quamobrem An. 1640 Mathematum Professor in Regia Academia Aboënsi fuit designatus. In hoc quoque sibi demandato munere ita se gesit, ut spem, quam de sua eruditione, diligentia & morum probitate cives sui conceperant, plene expleret. Enimvero sicut præcipuis ingeniiis ea tem-
pe-

pestate fuit sollenne, studio operam dicare Theologico, ita hoc quoque stadium ingrediebatur Kexlerus, sacris antea initiatuſ Ordinibus, quam Aboam accederet; heic autem præclaros suos in Theologia progressus etjam testatos facturus, disputationem Synodalem de *Primario Fidei Christianæ articulo, qui de Deo seu S. S. Trinitate est*, An. 1749 a se elucubratam & typis impressam, Clero Aboënsi examinandam proposuit; paulo post scil. die 17 Julii An. 1651, Ecclesiæ Pikisensis Pastor factus, acquisitâ sibi prius ea Lingvæ Fennicæ peritia, ut eadem conciones habere posset sacras. Rectoratum Academicum tribus vicibus, annis scilicet 1644, 1655, & 1666 gesit, partes Decani Facultatis Philosophicæ quater explens. Promotor præterea & honorum Magisterialium Distributor, primus in Academia Aboënsi, die 4 Maii An. 1643 fuit, eodem adhuc munere altera vice die 11 Junii An. 1661 fungens. In matrimonium An. 1641 duxit JNGEBURGIN ELISABETHAM GERSLINIAM, Regii Dicasterii Aboënsis Asseſforis ANDREÆ Olai GERSLINII filiam, ex qua septem suscepit Liberos, eorumque unam filiam ac tres filios patri superstites; ipse die 22 Martii An. 1669 placide exspirans (a).

Præter Dissertationem Synodalem a nobis jam commemoratam Kexlerus sequentia, Aboæ impressa, reliquit ingenii monumenta:

1:o Arithmeticam Geodæticam denariam, An.
1649 in 12:0.

2:o Arithmeticam Astronomicam Sexagenariam,
An. 1649 in 12:0.

3:o Trigonometriæ librum I. de Canonis Triangulorum constructione An. 1649 in 12:0.

4:o De Planorum Triangulorum Solutione An.
1649 in 12:0.

5:o De Sphæricorum Triangulorum Solutione
An. 1649 in 12:0.

6:o Arithmeticam Triplicem: Generalem, Geodæticam Denariam & Astronomicam Sexagenariam, nec non Geometriam Triplicem, Fundamentalem, Trigonometricam & Practicam An. 1658 in 8:0.

7:o Tractatum brevem de Tempore, seu Computum An. 1661, in 4:0.

8:o Cosmographiam & Gnomonicam An. 1664
in 4:0.

9:o Arithmeticam vugarem contractam cum Logistica Denaria & Sexagenaria An. 1666 in 12:0.

10:o Calendarium anni 1650 lingua Suetica An.
1649 4:0.

OR 11:o Universam Matheſin, sermone Svetico conſignatam, M. S. (b).

a) Quæ strictim enarravimus vita *Kexlerianæ* momenta,
ea ex *Oratione Funebri Eloquentia Profesoris Martini
MILTOPÆI*, in Nob. STJERNMANNI Biblioth. Svio-
Gotb. p. 779 seq. recusa, depromsimus. b) Vid. STJERN-
MANNI libr. modo cit. p. 794 seq. & Cel. ARCKEN-
HOLTZ *Memoires de Christine* Tom. I. p. 332. De Dispp.
Acadd. eo Præside editis cfr. LINDÉN l. c. p. 108. seqq.

IX:o Mag. GEORGIUS Christophori ALANUS,
Alandus, Patri *Christophoro Sigfridi*, Ecclesiæ in Jo-
mala Pastori, atque totius Alandiæ Præposito, &
Matri ELISABETHÆ, *Georgij Olai*, Pastoris ac
Præpositi Wirmoensis, qui Concilio Ufaliensi An.
1593 subscrispsit, Filiae, suos debuit natales, in lucem
editus die 12 Februar. An. 1609. Litteris, quibus
puerilis instrui solet ætas, in domo paterna ali-
quantum eruditus, ad Scholam mittebatur Aboënsiæ,
accurationi ibidem in disciplinis manuductione fratu-
rus; quarum culturæ quum tredecim admodum annos
impendisset, Camenas invisit Upsalienses. In harum
contubernio eos octennio fecit progressus, eaque præ-
stítit eruditionis specimina, ut dignus haberetur qui
die 29 Octobr. An. 1635 Laurea Magisteriali condecor-
aretur. Nec majora diligentiae suæ præmia diu de-
siderabat; in Finlandiam enim paulo post reversus, in
Gymnasio Aboënsi Diplomate Regio Mathematum Lec-
tioni præficitur, Sacris quoque Ordinibus die 11 Au-
gusti An. 1637 initatus; ultimusque fuit Gymnasii A-
boënsi Rector. An. 1640 die 19 Martii Physices ac
Botanices Profesor in Academia Aboënsi propediem
in-

inauguraⁿda designabatur, quam spartam multo studio
 usque ad An. 1648 administravit, quo ad tertiam
 Theologiæ Professionem fuit promotus, Theologiæ
 Professori Joanni Elai Tersero, ad Professionem Theo-
 logicam Upsaliensem clementissime evocato ita succe-
 dens, insimul Ecclesiæ Nadendalensi præpositus. De-
 hinc An. 1652 secundus Theologiæ Professor, & infe-
 quenti anno Primarius Theologiæ Professor, simul Ec-
 clesiarum Aboënsium Pastor atque Archipræpositus, nec
 non Ecclesiæ in Nummis Pastor constituebatur, mitra
 insuper Doctorali a Rev. Episcopo & Procancellario
 Doct. J. TERSE^RO die 15 Junii An. 1660 accepta.
 In Conventu Holmiæ ad mandatum Regiæ Majestatis
 An. 1663 convocato, Alanus una cum aliis Doctissi-
 mis in Patria Theologis fuit delectus, qui cum his
 in dogmata, ab Episcopo TERSE^RO proposita, in-
 quireret, atque de his sententiam Orthodoxiæ con-
 gruam ferret. Præterea Consulatum Academicum bina-
 vice, annis scil. 1647 & 1652 gesit Alanus, die 19 Junii
 An. 1661 promotionem quoque Doctoralem Theolo-
 gicam instituens. Conjugem duxit ELISABETHAM,
 Nicolai Consulis Neocopiensis filiam, quæ in pignus
 mutui amoris tredecim ipsi peperit liberos, septem
 filios & sex filias. Ipse denique vitam, ex commodo
 Patriæ & Academiæ bene transactam, die 15 Junii
 An. 1664 cum placida morte commutavit (a). Se-
 quentia, Aboæ impressa, reliquit eruditionis specimina:
 I:o Disput. Synodalem de Sacrae Coenæ muti-
 latione, Conjugio Sacerdotum, & missæ Sacrificio,

G An.

An 1641 Holmiæ quidem impressam, sed Aboæ An. 1642 ventilatam, Resp. Laurentio Petri & Erico Pauli Ketarenio, in 4:o.

2:o Disput. pro Art. XI Libr. Concord. de æterna Filiorum Dei prædestinatione, pro gradu in Theologia, Resp. Petr. Laurbeckio, 1660 in 4:o.

3:o Praeter has suo sub præsidio prodierunt dissertationes XII in Artic. August. Confessionis, & IX in Artic. Libri Concordiæ, in 4:o. (Cfr. LIDÉN l. c. p. 15 seqq, ubi reliquæ etjam XIX suo sub præsidio editæ enumerantur Dissertationes; quibus has addere licet IV: 1. De stellis, Bergerus Joh. Maderus Smol. 1½, a. 1645, 4:o. 2. De subjecto & adjuncto. Pet. Bergius, Suderm. 1649, 4:o. 3. De stellis. Barthold. J. Lacmannus 2. a. 1648. 4:o. 4. in Cap. I. & II. Hoseæ de promissione multiplicis gratiæ in N. Testamento, p. 180, Resp. Jo. Georgii Alano. a. 1663. 4:o P.)

Habemus insuper sequentes Conciones Funebres ab ipso habitas & publici juris factas:

1:o In AGNETAM Eliæ filiam HOLMIAM, Acad. Aboënsis Bibliothecarii Axelii KEMPE conjugem, ex Libr. Sap. IV. 14. Et Hårligt Tröstebalsam 1656 in 4:o.

2:o In Quæstorem BALTHASAREM WERNELE ex Psalm. LXXII. 17. Ålderdomens Staf och Krona, 1657 in 4:o.

3:o In GIESLAM Johannis filiam, Senatoris Urbici Aboënsis Johannis HÖRNICKS Conjugem, ex Psalm. XXV. 15 - - 18. De Gadfruktigas Suckan och böñ i sin jämmer, 1659 in 4:o. Chri-

4:o In Nob. INGEBURGIN BEURREAM,
 Dominam in Halkilax, Judicis Territorialis D:ni
Christiani ROSENCRANZII conjugem, ex Apoc.
 VII: 13 ---- 17. *De Christrognas Saliga tilstånd*
 1660 in 4:o.

5:o, In Mercatorem Aboënssem JOACHIMUM
 SCHULTZ, ex Psalm. XCI: 14---16. *Guds nådiga
 bistånd i högsta nöden*, 1662 in 4:o.

Denique Commentarium in Hoseam, cuius quoque pars non exigua est excusa, sed propter Auctoris mortem non absoluta, 1660 in 4:o.

X:o Mag. NICOLAUS *Laurentii NYCOPEN-SIS* (a), Nykopia - Sudermannus. Literas primum Strengnesiae & Upsaliæ hausit; inde Dorpatum transiit, ubi laurea ornatus fuit Magisterii. Deinde juventutem scholasticam Nycopiæ instituit, ea diligenzia, ut paullo post Eloquentiæ Lector in Gymnasio Strengnesensi constitueretur; unde d. 19 Martii 1640 ad Logices & Poëseos Professionem in nova Academia Aboënsi fuit vocatus. Anno 1650 Theologiae Professor ibidem denominatus, quod tamen munus non antequam vere anni 1652 adiit, cūramque Ecclesiæ in Sagu simul nactus est. Bis Rector Academiæ fuit, annis nempe 1648 & 1656, ac a. 1650 d. 2 Maji honorum Magisterialium distributor. Tandem die 12 Maji a. 1658 Episcopus Wiburgensis constituitur, cui muneri ad finem vitæ præfuit, e qua discessit a. 1664 (b) — (Seriem XXVI Dissertatio-

num Academicarum Aboæ ejus sub præsidio editarum exhibit LIDÉN l. c. p. 138 sqq. Quibus addere licet XXVII:m, *De Causâ Efficiente*, quan pro Gradu defendit Petrus Jonæ Hellenius, Arosia Westmannus, a. 1643, Plag. 1¹, 4:o. P.)

- a) Perhibet quidem Rev. RHYZELIUS (Episcop. P. II. p. 55) eijam cognominatum fuisse *Malmenium*; sed qua fide, nos latet. Nec enim in Dissertationibus Academicis suo sub præsidio editis, nec in Actis Consistorii Academici illud ei cognomen additur. SCHEFFERUS autem in *Svec. Litter.* p. 331 commemorat *Nicolaum Laurentii Malmenium*, Eloquentiae primum & deinde Theologiae in Collegio Strengnæsensi Lectorem, postmodum Pastorem Ecclesiæ Afpö factum, cum nostro haud confundendum; fuit is Upsaliæ Philosophiæ Magister creatus (Cfr. de eo N. AURELII *Srengnæs Stifts Herda Minne* I. D. p. 4). — b) Uocente RHYZELIO Episcopose. P. II. p. 55, ubi Diploma Regium quo successori suo idem munus demandatum fuit, die 30 Aug. 1664 datum esse asserit. Sed gratulationi, quam *Etbicæ M. Axelii Kempe* noster præmisit, (Edit. III. Ab. 1673, 12:o) eum anno denum 1668 obiisse, adponitur. P.) — In hunc Episcopum Concionem funebrem habuit *Samuel Reuter*, de vita ejus porro consulendus.

XI:o, Mag. JOHANNES Elæ TERSERUS, Dalekarlus; Natales debuit Patri Mag. Elæ Engelberti, Pastori ac Præposito Ecclesiæ in Lexand, Matri Margaretae, quæ filia fuit Johannis Laurentii, Pastoris Ecclesiæ Såbro Angermanniae. Frater itaque ger-

germanus fuit Episcopi *Joannis Elai Terseri*, sed ingenio ab hoc diversus. Natus a. 1612. Studiis quidem haud infelicem, præcipue humanioribus, operam impedit; suamque in illis cognitionem augendi cura ductus, postquam elementis literarum in Schola & Gymnasio Arosiensi haustis, Upsaliæ primum & deinde Dorpati diligenter incubuisset, Academias quasdam Germanicas & Belgicas, ubi præstantissimi ea tempestate Oratores florebant, adiit; sed nullum, quantum constat, publicum eruditionis suæ edidit specimen. Quamobrem credere par est, eum celebritati & auctoritati fratris sui in primis debuisse, quod a. 1640 ad Eloquentiæ Professionem in Academia Aboënsi vocaretur. In solenni Promotionis Magisterialis actu, die 4 Maii 1647 habito, pro dignitate muneris ordine quidem primus fuit, sed absentis partes alii ex conditatis agendæ erant demandatae. Cum vero spem def se conceptam minus impleret, spartam sibi demandatam (cui cæterum haud fuisse imparem Collegæ sui testabantur) non satis diligenter ornans (*a*), vitamque degens minus probatam, ceu ex Actis Confessorii Academicæ colligitur; in gravem reprehensionem, in primis ProCancellarii incurrit. Res angusta domi & valetudo infirmior, non sine sua culpa contractæ, ac minus prudenter feliciterque initum matrimonium (a. 1647, cum Anna Jacobi, Sartoris Aboënsis filia, non optimæ, ut videtur frugis, conjunctum) incommoda sua vehementer augebant: quamobrem Rectoris etiam Academicæ honorem a. 1648 re-

cusare coactus fuit. Tandem die 4 Maii a. 1649 naturæ debitum reddidit (b). Non nisi unam (a Cel. LIDÉN allatam) sub ejus Præsidio hic editam reperimus Dissertationem Academicam.

a) Venia impetrata Hollandiam, libros suos aliasque res necessarias inde apportandi gratia adeundi, per duos annos absfuit, ne causfa quidem moræ suæ ulla Senatui Academico significata; tandem in excusationem sui attulit, se post reditum in Sveciam gravi morbo decubuisse. Cæterum, cum ob frequentiorem M. *Johannis Dalekarli*, Juris Professoris, absentiam et in locis transmarinis (jus-
su Regio intercedente) moram, M. *Michaëli Wexionio* ejus partes hic interim administrandæ fuissent demandatae, atque ille Historiae quoque docendæ tempus sibi non superesle docuiset, prælectiones Historicas publice habendi onus in se derivari, approbante senatu Academico, noster passus est *Terferas*, nec male, una cum proprio officio aliquamdiu sustinuit. (b) De hoc viro pluscula, minus sibi faventia, legi posfunt in vita Fratris sui, Episcopi *Terferi*, a Cel. Theol. Prof. & D. JACOBO TENGSTRÖM edita, p. 170 not. (*) P.

Hi Undecim Professores, quorum vitas hactenus breviter descripsimus, simul omnes (præter *Acbrelium*) d. 19 Martii a. 1640 diplomatis Regiis, antequam inaugurata esset Academia Aboensis, suis præfecti sunt munieribus.

XII:o, Mag. SAMUEL *Georgii HARTMAN*, Helsingforsia-Nylandus. Quo anno ac quibus parentibus natus sit, indagere non potui. Postquam vero pri-

prima tirocinia in scholis Helsingforsensi & Aboënsi depositisset, in superioribus bonarum artium officinis studia sua continuaturum, in Germaniam abiisse reperimus; unde reversus, cum tenuiore premeretur fortuna, primum in domo Ill. *Broderi Andreæ* (Rålamb) filios ejus instituit, deinde a. 1640 nova Aboë Academia condita, munus Adjuncti in Facultate Philosophica ei offerebatur; cumque Musicæ eset artis peritus, simul Rector Cantus in Schola Aboënsi fuit constitutus, cui Scholæ non multo post ut Rector præficiebatur. Editis deinde consuetis eruditionis speciminiibus, die 4. Maji a. 1643 in solenni promotione (in nostra hac Academia prima) honores obtinuit Magisteriales, locum inter Candidatos primarium obtinens. A. 1649 vacuæ per mortem *Terseri* Professioni Eloquentiæ, commendante Senatu Academicō fuit admotus; quam a. 1650 in Decembri adiit, cuique officium Poësin quoque docendi, litteris Ill. Cancellarii d. 14. Maji 1651 datis, fuit conjunctum. Accesit ei eura Pastoris Ecclesiæ Lundo. In Synodo Cleri Aboënsis a. 1651 Præfidis functus est officio. Anno jam 1653, mense Junii, terrestrem depositit vitam, plures ex uxore sua *Justina Olavi* (quæ biennio post, illa quoque obiit) liberos relinquens impuberes. Diligenter muneri suo præfuisse, credi par est; liet Eloquentiæ studio præcipuam olim non dicasse operam, Episc. TERSERUS asseruerit. Cfr. TENGSTRÖM in hujus vita p. 47 not.

Scripti-

Scriptiunculæ suæ (præter Dissertationem Gra-dualem, Præside Mich. Wexionio editam, de qua vid. LIDÉN l. c. Sect. III p. 218, cuique adnexa reperi-tur Votiva Clausula qua Magisterialis Promotionis a-ëtum claudebat) nobis innotuerunt sequentes:

Trivialis Præceptor bonus, in Marci Pauli Björ-neburgensis, Philosophiæ Candidati, ad dictæ Scho-læ Conrectoratum introductione obiter quasi & bre-viter delineatus. Ab. 1644. 4:o.

Pensum Morale Trimestre, ex probatis auctori-bus in usum Scholæ Cathedralis Aboënsis erectum 1646. 8:o.

Disputationum Synodalium in Confessionis Au-gust. Articulos Secunda, de peccato Originali, Resp. Joan. Bahn, Joan. Mathiæ & Carolo Petri; impres-sa. Ab. 1650, 4:o, ventilata 1651.

S. D. G.